



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Exigere benevolentiam ex Justitia. parag. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

a Delugo
d. 2 §. de
Iust. nu.
195.

Dixi ex *Filiatio*, nam Delugo *propen-*
der ad dicendum, (licet denique se remittat
intentioni Mutuantium, & consuetudini)
propendet, inquam, ad dicendum, quando
bona fide Ministri Montis exigunt tria verbi
gratia pro centum, putantes hoc sufficere, pos-
se id, quod fortè superest, retineri absolute
pro Monte: sicuti, si fortè non sufficerent, ip-
se Mons damnus pateretur, nec à Mutuata-
riis illud refarciendum postulare: tunc e-
nim, id est, initio Mutui, fuit par utriusque,
Montis scilicet, & Mutuatarii periculum, si-
cuti supra in simili dictum est de ludo for-
tis, ergo eorundem erit, sive emolumentum,
sive detrimentum.

CAPUT IV.

Casus in Mutuo Usuram certò con-
tinentes.

§. I.

*Exigere in Mutuo benevolentiam ex
Iustitia.*

1. **C**um possim, ut capite præcedente §.
secundo diximus, à Mutuatario ex-
igere gratitudinem, benevolentiam,
Amorem, quæro hic, an possim hæc exigere
quasi debita ex Iustitia.

2. Respondeo, nequaquam, sed solum, si-
cuti ibi diximus, tanquam congruentia, &
cum libertate Mutuatarii. Ratio est manife-
sta, quia, si exigeres amorem ex Iustitia, exi-
geres plus quàm tibi à Mutuatario debetur,
ab ipso enim debetur tantummodo ex con-
yenientia. Lege Valentiam, b

b Valent.
To. 3. disp.
5 q. 2.1. p. 2

§. II.

*Exigere tanquam ex Iustitia in Mutuo obliga-
tionem remutuandi, sive jubendi, vendendi,
Agros colendi, &c.*

1. **S**i quis Mutuet alteri cum pacto, ut Mu-
tuatarius teneatur remutuare Mutuanti,
quando is indigerit.

2. Si cum pacto, ut Mutuatarius mihi, in
aliquo negotio, vel alteri meo amico fideju-
beat.

3. Si cum pacto, ut idem Mutuatarius ali-
quod iter suscipiat, vel aliquod opus in me-
um obsequium faciat, puta, medendi, docen-
di, vendendi, advocandi, agros meos suo tem-
pore colendi, &c.

4. Si cum pacto, ut idem conferat mihi
Mutuanti, vel amico aliquod officium tem-
porale, vel aliquod Beneficium Ecclesiasti-
cum.

5. Si cum pacto, ut idem Mutuatarius ex-
hibeat mihi Mutuanti, vel alteri munus, quod
vocant à lingua, quale est alloqui Principem,
Judicem, &c. Vel ab obsequio, quale est co-
mitari me Mutuantem, vel meam uxorem, fi-
lios, &c. Vel à manu, quale est aliquid mihi
Mutuanti, vel suis elargiri.

6. Si cum pacto, ut ipse Mutuatarius fre-
quenter officinam, vel scholam, vel Molen-
dinum Mutuantis.

7. Si quis, inquam, cum aliquo ex his pa-
ctis, ea ex Iustitia requirendo, mutuet, Usu-
rarius clarè est. Ratio ducitur ex dictis, quia
hæc sunt gravamina ultra, seu præter mu-
tuum, suntque obligationes civiles, sanè præ-
tio æstimabiles. Hæc sparsim habes apud Do-
ctores, apud quos invenies, an officium tem-
porale, & Beneficium Ecclesiasticum, si sic
acquiruntur, validè acquirantur? & an sal-
tem sint renuntianda; & denique, an fructus
ex illis percepti sint restituendi? præsertim in
Beneficio Ecclesiastico, ubi, sic, interveniret
Simonia, quæ omnem collationem invalidat
cum onere restituendi. Hæc autem solum
in nuo, nam cæterum pertinent ad alias mat-
rias.

8. Dixi tamen (requirendo ex Iustitia)
nam, si solum, & sincerè sine pallio Usuræ
hæc requirantur, immò, & ad illa excitet Mu-
tuans Mutuatarium, tanquam rememorando
id, quod de jure naturæ est, nempe congruen-
tiam ex gratitudine, non erit Usura, ut ex præ-
ced. §. constat.

9. Huc pertinet sequens contrahendi mo-
dus, quo sic dicas: *Mutuabo interim, dum fre-
quentabis meum Molendinum, vel quid simile
facies: at, quando desieris hæc præstare, tenearis
mihi Mutuum reddere.* Quæro enim, an hæc sit
Usura?

Respondeo. Molina, c & Less. d aliique, li-
cet fateantur, periculum maximum esse, ne
illa pallietur, tamen in rigore, si sine furo,
& fallacia fiat, Usuram non esse, putant.

Ratio